DISSERTATIO MEDICA N° 103.

INAUGURALIS

DE HEPATITIDE;

Amplissimi senatûs academici consensu, et nobilissimæ Facultatis medicæ decreto, pro gradu doctoris, summisque in medicinâ honoribus ac privilegiis ritè et legitimè consequendis, eruditorum examini subjicit, die octodecimâ mensis junii, horâ locoque solitis,

JOANNES O. RYAN,
(Hibernus),
Baccalaureus litteris.

Miseris succurrere disco. VIRGILIUS.

Homines ad deos nullâ in re propiùs accedunt, quàm salutem hominibus dando.
CICERO.

PARISIIS,
EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,
Typographi Facultatis medicæ parisinæ.
1818.

FACULTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

D. LEROUX, Decanus
D. BOURDIER.
D. BOYER.
D. CHAUSSIER.
D. CORVISART.
D. DEYEUX, *Examinator.*
D. DUBOIS, *Examinator.*
D. HALLÉ.
D. LALLEMENT.
D. PELLETAN, *Examinator.*
D. PERCY, *Examinator.*
D. PINEL, *Examinator.*
D. RICHARD.
D. THILLAYE.
D. DES GENETTES.
D. DUMÉRIL.
D. DE JUSSIEU.
D. RICHERAND.
D. VAUQUELIN.
D. DESORMEAUX.
D. DUPUYTREN.
D. MOREAU, *Præses.*
D. ROYER-COLLARD.

Nono decembris mensis die, anno 1798, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

REVERENDO AVUNCULO SUO CARISSIMO,

R. HAYES,

D. D. P. P. apud Ballintemple;

Ob amicitiam nunquàm obliviscendam,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

Animi gratissimi pignus,

DAT, DICAT, DEDICATQUE,

AUCTOR.

Utcumque indignum testimonium exiguum animi devinctissimi propter innumera collata beneficia quæ altâ in mente reposui, et quorum, extremam usque ætatem, memoriam retinebo, hoc opusculum iterùm tibi offero. Omnia bona et prospera, per totum vitæ curriculum, tibi tuisque abundè contingant, et pro certo crede, sensum tuæ benevolentiæ, in quas me cunque terras numina vocabunt, è meo pectore numquàm elapsurum;

« *In freta dùm fluvii current, dùm montibus umbræ*
« *Lustrabunt convexa, polus dùm sidera pascet;* »

Tamdiù maneant honor et nomen tuum, diù vivas et valeas, auræque faustæ tibi semper afflent, Deum optimum, maximum oro. — Vale.

Parisiis, die octodecimâ mensis junii, anno salutis reparatæ 1818 *dabam.*

MATRI INDULGENTISSIMÆ OPTIMÆQUE,

JOANNES O. RYAN,

Ob amorem verè maternum quo illum à partu insigniter prosecutus est,

Hanc disputationem academicam primitias calami juvenilis,

Pietatis, animique gratissimi, testimonium, lubens, lætus, gratus, venerabundus,

D. D. C. QUE

FILIUS.

A MA GÉNÉREUSE PROTECTRICE ET RESPECTABLE COUSINE,

MADAME DE RYAN:

Si jamais j'ai eu à m'applaudir d'un événement heureux, je dois principalement regarder comme tel celui où, arrivant dans ce pays pour me livrer à l'étude de l'art médical, et me préparer à l'honorable profession de medecin, étranger à la société, aux usages, et presque à la langue française, j'ai eu le bonheur de rencontrer dans votre bienveillante protection les prévoyances, l'appui, les utiles conseils dont avait besoin ma jeunesse. Il est enfin arrivé, madame, le moment auquel depuis si long-temps j'aspirais, celui où je puis exprimer et rendre publique ma vive reconnaissance pour vos bienfaits, pour toutes les bontés que vous m'avez fait éprouver, pour votre affectueuse, et j'ose presque dire maternelle tendresse. J'ose espérer qu'une personne qui est l'ornement de son sexe, qui n'est pas moins recommandable par les services qu'elle rend à la société que par sa piété et ses vertus; qui, en un mot, honore le nom irlandais, voudra bien, dans la dédicace d'un acte qui va terminer pour l'auteur les études académiques de son art, recevoir le faible, mais sincère et cordial témoignage du respect, de la vénération, et de la vive reconnaissance avec lesquels il a l'honneur d'être

J. O. RYAN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE HEPATITIDE.

Hepar, sive jecur, quod ratione aliorum in fœtu viscerum est maximum, sese ad utraque hypochondria extendit. Magnitudo jecoris in fœtu à majori potiùs quantitate in id per venam umbilicalem delati provenit quàm ab ullo officio proprio quod exercet. Hæc dispar ratio jecoris in infante non remittit, sed manere videtur aliquo modo, donec ad ætatem quatuor vel quinque annorum pervenerit. Undè intestina infantum atque puerorum plus bile liquidâ abundant, quàm annis maturiorum; ideòque multùm sunt torminibus infimi ventris obnoxii, et tentantur diarrhæâ. Neque hic ullo modo peccâsse naturam crediderim; est enim imprimis necessarium, ut humorum in infantibus aquosorum fiat insignis aliqua evacuatio, dùm per membra debilia non licet exercitia peragere, quæ perspirationem similiaque promovent. Vena umbilicalis jecur ingrediens ad fissuram propè partibus ejus inferioribus, medium undè ligamentum suspensorium jecoris cartilagini ensiformi et diaphragmati continuatum cerni potest.

Hepar, organum præcipuum, bilis secretioni inserviens suâ mole totum ferè dextrum hypochondrium replet; supra dextram ventriculi partem, quandoquè ad splenem usque extenditur, atque sensim angustius et tenuius ne ventriculum nimis premat,

evadit, duplici membranâ involvitur extimâ, à peritoneo mutatâ, altera propria; partibus vicinis per varia ligamenta connectitur, potissimùm diaphragmati, per membranaceum latum atque validum, *suspensorium* dictum, quod (*Glisson*, hepatis Anatomia) substantiam hepatis ingressum fibras suas vaginæ sive involucri venæ portarum inferiùs exponendi, fibris jungit. Versùs dextram substantia hepatis per amplam satis superficiem, septo transverso arctissimè accrescit; venæ umbilicalis ope in ligamentum versæ, umbilicis mediante peritoneo cartilagini ensiformi annectitur; atque hisce vinculis hepatis moles sustinetur, ejusque debitus situs conservatur. Quod ad hepatis figuram, colorem, magnitudinem, et similia attinet, hæc, utpotè quæ ad visceris officium intelligendum parùm conducunt, consultò omittam, ad vasa hepatis describenda properans.

Præfanda.

Opera quam medici in inflammationibus hepatis acutis pariter ac vetustis indagandis impenderunt, non frustrà posita est; multa enim de eorum naturâ, causis et curatione, medicinam facientibus notatu apprimè digna, in medium protulerunt. Hâc quâ potui curâ, legibus academicis adstricto, breviter et strictùm tractare mihi consilium est.

De signis Hepatitidis acutæ.

Jecoris, uti alius cujusvis partis, inflammationem instare denunciant artus inhorrescentes et rigentes, modò sanè tam leviter, ut ipse ægrotus vix id signum sentiat. Paulò posteà, corpus præter modum calet, et arteriæ concitantur. Præcordia è dextrâ parte tenduntur et dolent, et dolor premente manu increscit. Interdùm spiritus ægrè et cum dolore trahitur. His signis febrilibus tandem accedunt ea, quæ morbi, quo detinetur æger, sedem et naturam haud obscurè indicant; sensus ponderis mo-

lestus, in dolorem, modò acutum et pungentem, modò obtusum desinens, sub inspirationem maximè perspiciendus, hypochondrium dextrum tentat. Homo in partem dolentem faciliùs quam in sanam cubare posse solet; ægro in latus sinistrum decumbenti dolor sæpè adeò intenditur, ut in alterum ferè propendeat; qui porro à positurâ corporis erectâ sæpè multùm adauctus, paulò antrorsùm incurvatum, et ad latus dextrum nonnihil inclinatum, ægrum semel tenere cogit. Nec dolor intra hypochondrii limites continetur, sed ad claviculum et summum humeri dextri porrectus, jecoris læsi index certissimus esse habetur.

Quoties inflammatur pars gibba, septo transverso proxima dolet summa pars humeri; et, ut *Girdlestonus* nos edocuit, pars antica aut postica humeri afficitur, prout inflammatio parti jecoris anticæ aut posticæ incumbit. Æger spirat graviter et cum dolore; crebrò tussit, at nihil penè excreat. Aliquando porrò singultit, quod nunquàm est indicio, et interdùm spiritum gravat. Si facies ima et postica jecoris laborat, dolor parùm pressurâ acuitur, et pars vix intumescit. Quòd si altera antica inflammatur, tumet, et acutè dolet, manûs impatiens. Inflammatâ parte concavâ, actio ventriculi perturbatur, cibi fastidiuntur, et sæpè evomuntur, quæ mala multò plus quàm aliâ parte jecoris laborante, torquent. Tussis simul et spirandi difficultas desunt, aut levissimè urgent. Frequenter vires prosternuntur, et angor tantus cruciat, ut ipse ventriculus inflammari videatur.

Inflammato jecore, plus fellis quàm fert natura secernitur. Si ductus hepaticus, vel ductus communis choledocus afficitur, fel, cum facilè in intestinum profluere non potest, resorbetur, et summa cutis et tunicæ conjunctivæ oculorum aurescunt. Alvus eâdem de causâ torpet, et stercus, fellis expers, album excernitur.

Aliàs, alvus præter solitum fluit biliosa; nec ratio obscurat; fel nimirùm æquo copiosius intestinum intrat. Hoc accidit, quandò

gibbæ faciei solius inflammatio contingit. Cutis interdùm, alvo ita resoluta flavet; non quòd vasa jecoris resorbentia fel in venas deferunt, aut hoc ipsum refluit, ut *Saunderii* videtur esse opinio; sed quia vasa lactea una cùm opimâ alimenti parte id accipiunt.

Arteriæ sæpè languidè, interdùm fortiter saliunt; plerisque tamen hoc malo ægrotantibus, durè et celeriùs quàm ex consuetudine. Exardet summa cutis, sitit æger, lingua sorde flavâ aut atrâ squalet, et fauces inarescunt; urina rufa et parca excerni consuevit. Æger continenter ferè vigilat, nec rarò delirat, et vires indè insigniter dilabuntur. Hæ sunt notæ præcipuæ et frequentiores acutæ jecoris inflammationis; quæ delitescentia resolutione, metastasi, suppuratione, induratione, gangrænâ, aut inflammatione chronicâ finiri potest.

Hunc morbum in resolutionem desiturum esse testantur signa mitiora, et auxiliis idoneis facilè cedentia. Hæ vero notæ eventum felicem prædicant: sanguinis cursus e naribus aut imi intestini venis, alvus biliosa, sudor tepidus et æqualis ubique corporis, nec rarò qui cute flavente, vestem intimam inficire dicitur; sputa porrò copiosa et urina crassa et multa. Quinetiam subinde inflammatio à jecore aliorsùm transfertur; veluti ad lienem, aut ad cutem, quæ erysipelate efflorescit. Si corpus vicissim inhorrescat et incaleat, id quod sæpè visceribus inflammatis accidit, suppurationem instare aut adesse constat. Hæ notæ primæ omnium hanc venturam testantur, et medicum inflammationis resolvendæ spem dedocent. Nec verò non fateor membra aliquâ parte inflammatâ, aliundè obrigere et inhorrescere posse. Semper tamen hoc signum haud leviter terrere debet. Cur verò, pure facto, artus horreant, penitùs nescimus: res ipsa optimè innotescit, et medicum prudentem perrarò fallit. Quòd si hoc signum prorsùs defuerit, aut adhuc latuerit, jecur tamen suppuraturum judicamus, si inflammatio diutiùs traxerit, nec medicinæ summâ ope renitente cesserit. Pus jam jecori inhærere denunciant dolor ex improviso conquiescens, certève inclinatus, et gravitas quædam sensusque liquoris fluc-

tuantis ; et *Whyttius* hæc habet verba : *In a suppuration of the liver, I have twice, seen the patients affected with a numbness and debility of the right arm, thigh and leg.* (Whiytt,s, observation on nervous disorders, p. 25.)

Auctores memorant inflammationem jecoris subindè in gangrænam desiisse. Hanc subesse patet, si dolor subitò quiescit ; si summa cutis gelido diffluit sudore ; si arteriæ languidæ micant, potiusvè intremunt ; si æger assiduè singultit, artusque frigent. Interdùm evomitur sordes nigra, et alvus atra graveolensque fluit.

Si jecur nec suppurat, nec ad gangrænam tendit, signa tamen inflammationis mitescant, non decedant, inflammationem chronicam futuram esse constat.

De Abscessu Hepatis. (*In Aphorismos* Boerhaave.)

Apostema, quamvis vulgatissimo usu *abscessûs* nomine intelligatur inflammationis transitus in suppurationem, et puris indè nati collectio in quâdam parte corporis ; interim et magis generali significatione *abscessûs*, sive *apostematis* nomen quandoquè adhibetur. *Galenus* enim (cujus loci jam antè mentionem feci ad §. 402), in universum sic vocabat illas affectiones, in quibus ab invicem partium corpora, quæ priùs mutuò sese tangebant, abscedunt. Spatium igitur in medio vacuum fieri necesse est, quod materiam aliquam, aut flatuosam, aut humidam, aut ex utrâque mixtam continebit. Ubi autem purulentus abscessus post inflammationem prægressam natus est in hoc viscere, tunc tale apostema hepatitidis effectus est, non verò causa : potest tamen premendo vicina loca in ambitu novam inflammationem producere. Verùm observationes medicæ docuerunt mira sæpè apostemata in hepatitide reperta fuisse, in quibus nihil purulenti, sed longè alia materia fuit. Talem abscessum, gelatinosâ materiâ plenum, ad plures libras accumulatâ, in gibbâ hepatis regione, in cadavere invenit *Bianchus* : ingens ille tumor

diaphragma tandem laceraverat, et cavum dextrum thoracis magnam partem contentæ materiæ effuderat, et tandem suffocaverat miserum hominem. Plurimos minores longè tumores per totam hepatis substantiam dispersos, qui materiam, albumini ovi igne indurato simillimam continebant, in puellâ sexenni, longâ febriculâ extinctâ, observavit pariter. In cadavere hominis fumo carbonum suffocati nullum in reliquis visceribus vitium apparuit, sed propè fundum vesicæ felleæ magnus eminebat tumor globosus, cujus alterum hemisphærium substantiæ hepatis increverat : tumor ille lanci impositus ultra libram pendebat, et crassam pellem exteriùs habebat; in cavo hujus tumoris continebantur ultra novem millia vesicularum compressarum, colore et figurâ pelliculas uvarum vacuas referentium, diversæ tamen magnitudinis inter se. Mirum et hoc erat, quod nec sibi mutuo, nec majori sacco, in quo hærebant omnes, ullo modo adhæserint. In hepatis majori lobo cavitatem satis magnam invenit celeberrimus *Littrius*, quæ continebat corpora ovalis figuræ, plena liquido visco, instar aquæ pellucido.

Observatio de Asbcessu hepatis. (Morgagni, *de sedibus, etc.*)

Sexagenaria mulier diù queritur de dolore supra umbilicalem regionem : sitit, tussit, expuit catarrhalem materiam; postremò difficilè respirat; paucisque ante mortem diebus, repentè multùm intumescit venter, œdemate pedes occupantur. Tandem, sensim illo deficiente dolore, fit vivendi finis. In ventre magna limpidæ aquæ copia; nullum vasorum lymphaticorum vestigium. Lien naturali duplo major. Hepar durum, cui annexa fellis vesicula plena erat calculis lævigatis. Alia autem in parte vesicularum congeries hepati inhærens cernebatur, quibus laceratis, serum effluebat. Intra substantiam autem ejusdem visceris eam partem versùs quà diaphragma spectabat cavum abscessus inventus est, plus jecoris parte occupans, eruperat diaphragmate perforato, materia

abscessûs in dextram thoracis caveam, quæ tota sanioso pure plena erat. Pulmo tamen sanus fuit.

Etsi hepatitis acuta indiciis minimè dubiis semet sæpè prodit, multa autem proferuntur exempla in quibus res longè aliter se habuit, et morbus tacitè obrepens, cursum clanculùm et celerrimè conficiens, in suppurationem priùs abierit quàm æger vel medicus ullam jecoris labem subesse suspicati sunt.

In plerisque autem horum hepatitide occultè laborantium facies squalida, oculi hebescentes et subflavo colore tincti, sensûs molestia vel doloris ex pressurâ ad hyponchondrium dextrum adhibitâ, decubitus in latus affectum facilior, et dolores ad humerum subindè vibrantes, morbi naturam detegunt.

De Hepatitide chronicâ.

Hepatitis chronica rarò jam indè à morbi principio suam naturam apertè prodit; diù enim sæpè latuit, mora in dies invalescens, vires penitùs subruens, sine ullis notis ex quibus mali sedes elucescat. Ægri vires intereà in deterius ruunt, qui languidus et depressus solita munera vix obire queat. Multa simul ventriculi malè se habentis symptomata conqueritur, modò cibum avidè ingurgitat, et præter ordinem appetit; modò omne alimentorum genus aversatur; post cibum assumptum molestus in ventriculo plenitudinis et distensionis sensus exoritur, quem flatus ructus acidi ferè comitantur. Omnis iste vultûs decor, secundæ valetudinis comes, perit, qui nunc squalens, luridus et demissus, molestias quibus corpus angitur haud malè depingit; oculi præprimis omnem splendorem amittunt, et interdùm planè flavescunt. Dolores vagi huc illuc lancinantes pectus, humerum et hypochondria subindè tentant. Ingravescente morbo, abdomen evadit tensum, vel etiam tumidum, et ponderis ac molestiæ sensus magis distinctè ad hypochondrium referuntur, parte manu pressâ potissimâ percipiendi. Hi insuper dolores ad summum humeri dextrum et claviculam nonnunquàm pertinent,

vel cum doloribus hypochondrii alternantes, ægrum per vices exercent. In quibusdam vero casibus, humeri dolor vel omninò abest, vel tantùm ex pressurâ ad eum admotâ percipitur. Ineunte hepatitide chronicâ, arteriarum ictus raro incitatiores vel validiores moventur; nec desunt exempla ubi potiùs solito tardiores evaserunt. In provectiore autem morbi gradu, ægri sæpè febricitantes calorem præter naturam auctum, et pulsus justò frequentiores, qui vespere solent fieri molestiores, subindè conqueruntur. Spiritus difficiliùs trahitur, et tussis sicca, rauca, dolore sæpè haud parùm exasperans accedit; lingua sicca est et albescens; cutis arida; urina parca, et rubra; et alvus ferè manet adstricta. Æger nec in unum, nec in alterum latus facilè decumbit; sed posituram supinam, capite aliquantulùm elevato minùs molestè fert.

In regionibus calidis haud pauca dantur exempla, in quibus lenta jecoris inflammatio à crebris alvi dejectionibus, parcis et acribus, tenesmo simul urgente, initium habuit; ita ut ubicunque alvi proluvies sine causâ manifestâ ægrum diù exercuit, præsertim in plagis cœli fervidioribus, non deest ratio cur hujus modi hepatis labem subesse credamus. Hujus inflammationis decursus admodùm variat: nunc citò ad finem properat; nunc, nonnisi post plures annos cursum absolvit.

Ægro tandem, viribus penitùs resolutis, icterus, ascites, sudores nocturni, diarrhæa, et febris hectica mortem jam instare satis demonstrant.

Resolutionem ferè comitantur quædam evacuationes, quæ huic morbo crisin afferre creduntur. Huc potissimùm spectant dejectiones biliosæ copiosæ; sanguinis profluvium è naribus vel evasio hæmorrhoïdalis, et interdùm lotium copiosè redditum, sedimentum ubertim deponens. His autem exinanitionibus haud ita fidendum est, ut ex iis obortis felicem morbi exitum certo prædicere liceat, nisi signa febrilia simul remittant, et dolores mitescant.

Quæstioni ab illustri *Culleno* propositæ, utrùm scilicet hic

morbus unquàm muci sputo solutus fuit? Doctor *Saunders* hepatitidem liberâ muci expuitione resolutam se vidisse respondet. In hoc autem casu, an pulmones inflammationis quoque participes fuerint, necne, addubitare liceat.

Res autem non semper ita faciliter cedit: si enim pyrexia vehemens et dolores graviores sine ullo levamine per aliquot dies perstiterint, ne morbus in suppurationem abeat magnopère timendum est. Suppurationem jam obtinuisse rigores crebri corpus percurrentes, summa inquietudo, et doloris anteà acuti loco sensus ponderis docent. Quòd si inflammatio convexam hepatis faciem occupaverit, tumor extrorsùm vergens, simul cum haud obscuro fluctuationis sensu, subindè manifestus evadit. Hæc puris jam formati indicia maximè semet prodere solent dùm æger in latus sinistrum recumbit. Pro diversâ inflammationis sede pus varium sibi exitum parare consuevit. Si enim convexa jecoris superficies morbo correpta fuerit adhæsionibus vel ad peritonæum abdomen investiens, vel ad septum transversum factis, pus vel foràs prodeat, exesis tegumentis vel per diaphragma in thoracem et pulmones erumpat, sputo rejiciendum.

In iis exemplis ubi inflammatio sedem fixerit in concavâ hepatis parte, pus duodenum vel colon iter sibi patefaciat, prout abscessus cum his partibus concretus fuerit. Dicitur interdùm per meatus biliferos in intestina dilabi. Hujusmodi adhæsiones, ne pus in abdominis cavum effundatur, ferè prohibent.

Hepatitidem unquàm in gangrænam ruere multi dubitant. Habemus autem exempla, sed rarissima, ab auctoribus satis spectatis prolata, in quibus doloris cessatio, pulsus parvus et debilis, crebræ animi defectiones, vires vehementer collapsæ, facies cadaveris instar pallida, et partes extremæ frigidæ, aliquid hujusmodi locum habuisse suadent.

« Marie, S.... mulier quadraginta annorum, coloris flavescentis, duritiem in dexterâ ventris parte diù tulerat, ad os usque ilium, et infra descendentem. Dolebat, eam partem si tangeres. Sitiebat.

Per mensem circiter ante obitum de ventriculi dolore post assumptum quærebatur, et difficile respirabat. Postremis aliquot diebus, vomitus, duobus autem ultimis, acerbissimus dolor accesserat. Venter aquâ plenus inventus est flavâ, amarâ, et ad ignem concrescente. Ventriculus in medio angustus, ut ibi pylori arctitudinem æquaret, sicque duos quodammodò repræsentaret ventriculos. Hepar in molem ingentem excreverat; nam lobo dextero quasi ad ventris fundum perveniebat. In hujus lobi substantiâ multa corpuscula avellanam adæquabant; cum dissecaretur, alicubi erosionis ostendebat initium humorumque imminentem putrefactionem. Sinister autem hepatis lobiis itidem induratus, ibi ventriculum premebat, ubi hunc arctiorem fuisse diximus. Vesiculæ fellis tunicæ crassæ erant factæ, cavum autem valdè angustum, quo atra, crassa, viscida bilis continebatur. Lymphæ ductus nullo modo se prodebant in hoc ventre. In thorace pulmones subalbi, maculis subnigris variegati : quorum sinister nonnihil ad dorsum alliquabatur; dexter undique erat solutus. Ventriculi cordis fluidum sanguinem continebant, ut vix in dextero leve esset polyposæ concretionis initium. »

Hæc observatio descripta est ab illustro *Morgagni*, lib. III de morbis ventris, epistola XXXVI.

Juvenis annorum circiter viginti, quod ex nativa corporis salubritate valetudinarius jam quas à biennio fieri cœpisset, causam rejeciebat cum in venationem, saltationem aliaque ejusmodi quibus indulserat plurimùm, tùm in proprium artificium; linum enim carminabat. Pallidus autem factus erat, et hypochondriacorum more, de levibus ventris thoracisque affectionibus identidem querebatur. Tandem æstate anno 1688, magnus, durusque in sinistro hypochondrio sese prodidit tumor, cum ponderis sensu, difficilique inter ambulandum respiratione. His repentè accessit largus sanguinis vomitus cum magnâ virium jacturâ, tumoris incremento, et febre. Remediorum ope primis diebus à vomitu, deindè etiam à febre liberatus, cùm per tres menses proximos

chalybeatis usus esset, tumoris quoque durities sublata est : ejusdem tamen magnitudo perstitit, cum pallido et quasi citrino faciei colore. Januario autem mense bis terve redeunte sanguinis vomitu, in vehementem incidit febrem, cum pulsu celeri, duro ac parvo, utriusque hypochondrii dolore, pondere, tensione, sitique inextinguibili; placidissimo tamen obitu sublatus est, licet in vasis omnibus sanguinis portio superesset. Itaque ventris viscera insueto pallore, et quasi candore ad se oculos alliciebant, si splenem exciperes, qui naturalem servabat colorem; sed ductus adeò erat, ut hepar mole superaret, penderetque libras quatuor semisse. Nec erat æquo durior, nisi quod ad convexam faciem uno aut altero in loco solidiorem altè recondebat substantiam majorem nucis magnitudine. In splenis trunco polyposæ concretiones latebant, quæ cum ejus vænæ ramis perbellè se vel intra splenem dividebant. Hepar valdè pallidum, rubris duntaxat hîc illîc maculis distinguebatur. Fellis vesicula hepate pallidior, atque adeò albicans, bilem continebat paucam coloris maximè diluti, cui similis in ventriculi fundo non durat. Cætera in ventre sana. In thorace pulmones, quà anteriora spectabant, pallidi; quà dorsum ex atropurpurei, et inflammati apparuerunt : dissecti autem multùm seri emiserunt spumosi. In dextro cordis ventriculo parva concretio polyposa; in sinistro ejus tantummodò inchoamentum.

Cadaverum sectio.

In cadaveribus eorum, quos abstulit hepatitis, perscrutandis, nihil ferè invenimus quod non facilè ex solitis inflammationis effectibus, visceris læsi structurâ, et nexu cum partibus vicinis, vel ei adhærentibus, vel simul in morbi consortium ductis, accidere queat.

In externâ hepatis superficie solita inflammationis indicia plerumquè reperiuntur; membrana enim hoc viscus exterius investiens præter naturam crassa, vasis rubris referta et lymphâ obducta

apparet. Hæ verò notæ uni parti sæpiùs affixæ ; rarò totam membranam occupant; quæ interdùm quasi punctis rubris vel lividis commaculata semet ostendit. Interdùm externa jecoris facies aspectum prorsùs sanum exhibuit ; dùm intima ejus substantia inflammatione obsessa, tactu duriuscula et valdè rubra deprehenditur. Abscessus variæ magnitudinis, nunc plures, nunc pauciores, sæpè in conspectum veniunt. Hi abscessus modò penitùs intra hepatis substantiam continentur; modò cum visceribus vicinis liberè communicant : nunc exeso septo transverso, latè patet via in pulmones; nunc pus in ventriculum vel intestina irrumpit, vel abdominis cavum inundat. Hæc quoque viscera inflammationis notas sæpè præ se ferunt.

Jecur inflammatum in omni ferè exemplo cum partibus vicinis accrevisse invenitur. Hujusmodi adhæsiones, modo strictiùs, modo latiùs patentes, pro morbi sede ; hepar ad diaphragma, aut ad peritonæum, quà abdomen cingit, aut denique ad intestina adnectitur, *et simul iter præbent, quòd abscessûs rupti pus prosequatur.* Cadavera eorum qui hepatitide chronica perierunt, incisa, jecur fere induratum, coloris solitò pallidioris, nunc mole insigniter adauctum, nunc verò imminutum, et sæpè plurimis tuberculis obsitum exhibuerunt.

Quorumdam signorum ratio.

Decubitus in latus sinistrum difficilis. Ex eo, quod jecur inflammatione laborans sensum adeò acutum adipiscitur, ut omnes ejus motus, etiam levissimi, molestiam et dolores plurimùm adaugeant.

Nec minùs ad hoc pertinet, quòd hoc viscus, suis ligamentis suspensum, dùm in hoc latus decumbit, eorum tensione ægrè ferendam necessariò patitur.

Doloris et plenitudinis sensus in hypochondrio dextro maximè percipiuntur, propter sedem morbi in dextro hepatis lobo ut plurimùm positam.

Dolor ad summum humeri dextri nullam, quæ nodum prorsùs expediat, solutionem hactenùs accepit. Sunt quibus persuasum est, mediastinum particeps fieri, cujus interventu dolores ad summum humerum usque propagantur: dùm alii hoc signum ex quodam nervorum consensu repetendum esse volunt; hunc autem nervorum nexum nullâ probabili ratione assequuntur; et sanè hoc consensu nervoso nimis sæpè abutuntur medici, nescio quâ vocis dulcedine capti. Parùm autem proficitur verbo, dùm res ipsa penitus latet.

Spirandi difficultas et tussis vel ex inflammatione ad septum transversum, vel etiam ad pulmones usque porrecta; vel ex libero septi hujusce descensu, auctâ mole hepatis et acutiore ejus sensu nonnihil impedito, proficisci videntur.

« Vomitus maximè solet esse molestus, cùm ea jecoris facies ventriculo proxima laborat; viget enim consortio inter hæc viscera arctissimum, quo fit ut malum unius promptè cum altero communicetur. Vomitus prætereà sæpè ex immodico materiæ biliosæ fluxu ventriculum opplentis provenit. Icteri atque ascitæ signa, quæ in hepatitide chronicâ sæpè superveniunt, è tumore hepatis exitum bilis in duodenum, et simul sanguinis reditum per venam portæ impediendo deducenda sunt. »

De causis.

Causæ morborum duplicis sunt generis : quæ corpora ad morbos subeundos proclivia reddunt; et quæ ipsos rectè excitant. Auctores equidem has plurimùm invicem confundere solent. Scire tamen licet, illas ferè corpori intùs inhærere, has verò extrinsecùs esse. De utrisque brevi sermone disseram.

Quæ causæ proclivitatem pariunt. Tenelli et impuberes perrarò hoc morbo plectuntur. Cujus rei *Girdlestonius* meminit, hujusmodi oratione habitâ. « Viginti tympanistarum centesimæ primæ « legionis impuberum nonnullus hoc morbo laboravit, tametsi

« continuè in campis fuerint, et itinera quàm ulla alia pars legionis « meliùs fecerint. »

Gregorius equidem, inter prælegendum, narrat quamdam octo annos natam in eum incidisse. Adultis verò potissimùm contingit.

Quod ad indolem corporis, sanguinei, non minùs quàm melancholici ei patescere videntur, quamvis medici plerique hos illis procliviores esse opinantur. Res est sanè notissima, vegetos et sanguine plenos persæpè jecoris inflammatione tentari. Nec simul inficiendum, atram bilem corpus jecoris malis obeundis aptare, præcipuè largioribus.

Feminas hic morbus maribus posthabet; eo quòd hi noxis excitantibus, ob vivendi rationem, magis objiciuntur.

Multum operæ conferre videtur cœlum ardens, quod et proclivitatem, et ipsum morbum progignit. Cùm verò causæ excitanti potiùs sit habendum, illuc referre satius judicavi.

Regionum calidarum incolæ, et potissimùm hi temperamento sanguineo præditi, corporis robore, et ætatis flore adhuc vigentes, Hiberni et Britanni, qui sedibus patriis relictis se ad Indiam alterutram recipiunt, sed præcipuè orientalem, satis eheu! quantum jecori noceant ardores meridiani noverunt. Memoratu simul haud est indignum, Indos ipsos multò rariùs jecoris morbis, quàm Europæos illuc traductos, implicari; nec ratio obscura : hi scilicet se luxui, epulis et vino committere soliti, cœlo torrido longè magis concitantur, cujus porrò insueti sunt. Aborigines contrà è naturâ et temperatè vivunt, oryzâ et lacte vescuntur, missis carnibus, conditis omnibus et salsamentis; nec multùm ideò sole nimiùm propinquo, consuetudine durati, plectuntur.

Ebrietas. Inter causas quæ proclivibus hunc morbum concitant calor et nimius potûs meracioris usus præ omnibus recenseri merentur, et medici attentionem imprimis vindicant. Etiam in nostrate, plerique eorum, qui bibere multùm vini et liquorum spirituosorum solent, vix non jecore ægrotare comperiuntur.

Jam anteà notavi teneros ætate minimè jecoris inflammationi naturâ opportunos esse : ista puella octo annos nata, de quâ suprà retuli, in malum propositum, liquores ardentes potando, incidit. De modo quo hæ causæ suos operantur effectus, multùm et variè inter medicos et physiologicos disputatum est.

Nullam autem habemus verisimilem rationem hactenùs propositam, quæ hanc difficultatem expediat, vel indicet cur calor vehemens in jecur potissimùm incumbat, et tam graves hujus visceris tumultus concitet. Hoc solummodò constat, quòd hepatis munera non adeò perturbantur ex gradu vehementiæ cui assurgit calor, quàm ex vicibus caloris et frigoris se mutuò excipientibus. Hinc plagæ Indiæ orientalis subitis cœli mutationibus obnoxiæ, quàm ubi calor magis intensus, modò stabilis fuerit, homines à labore graviore insudant : hi contrà navibus conscensis hunc morbum proniores reddunt.

Cursus aut motus vehementior. Currendo aut acriter ambulando jecur admodùm irritatur. Nihil sanè plus confert ad hoc viscus inflammandum, quàm itinere longo sub ardente cœlo fatigare. Milites britannici, soli pulverique indico objecti, vix non simul omnes in hanc valetudinem incidunt. Hinc ii, qui in Madrasiâ militant longè opportuniores sunt quibus jecur inflammatur, quàm Bengalenses : nimirùm, inter munera adeunda hinc illuc ad bellum gerendum traduci solent.

Nec mirum est quòd frigus corpori diuturno et vehemente calore exhausto et relaxato admodùm, excretionem per cutem anteà suprà modum adauctam, subito reprimendo atque interiora versus pellendo, grave damnum haud rarò inferat. Ex consensu porro, qui inter corporis superficiem, et partes interiores obtinet, aliter fieri haud potest, quin illa, vel acerrimo caloris æstu, vel subito refrigerio multùm affecta, partium cum eâ consentientium munera vehementer quoque conturbet. Injuriis ex hoc cœli statu orituris maximè patent homines, qui fervidis solis radiis à vertice micantibus expositi, longa itinera metiuntur.

Inter causas quæ hepatitidem concitasse feruntur, ictus reponuntur. Quævis pars ictu violata in tantum indè contundi et irritari potest, ut consequatur inflammatio. Neque ulla profectò contusa plus quàm jecur pati comperitur.

Caput ictum. Res est memoratu haud indigna, jecur capite percusso fuisse inflammatum. Nexu autem quali cerebrum cum hoc viscere societur, minùs constat. Si cui caput icitur, is violenter evomit : verisimile est igitur vomitum istum, septi transversi fibris, et musculis abdominis valdè molientibus, eo jecur premere, exasperare, et ejus fistulas emulgere, ut concitetur inflammatio. *Bertrandi* in tractatu, cui titulus (*Mémoire sur les abcès du foie*) hæcce verba habet. « *Nous connaissons, par un assez grand nombre de faits bien observés, que l'abcès du foie est principalement à craindre après les plaies de tête, lorsque les blessés vomissent, peu après la blessure, une bile verdâtre.* » (*Mémoires de l'académie de chirurgie,* t. 3, p. 484.) Cheynius (*on Hydrocephalus,* p. 48) ait « *Injuries of the brain have often been succeeded « by abscesses of the liver.* »

Motus animi. Hippocrates timorem noxæ excitatrici recensuit; meminit enim hunc morbum grassari et adoriri « in peregrinatione per deserta loca ; ut ubi terror ex viso spectro corripuerit. »

Febres hanc inflammationem genuisse videntur ; præcipuèque intermittentes et remittentes, quæ Indiam orientalem et alia loca sano jecori inimica populari solent. *Boerhaavius* et *Van-Swietenus* omnes febres ardentes causas valentissimas hujus morbi habebant. Ista verò opinio ratione vanâ innititur. Nulli parti calculi sæpiùs inhærere reperiuntur, quàm jecori et fellis vesicæ; si equidem excipias urinæ itinera. *Ruyschius* profectò concretionem, qui scrupulos duos pendebat, jecori inesse comperit, quique nequaquàm cum bilis fistulis commiscebatur. Jecur inflammant concretiones, vasa ejus irritando, quo in tantum concitantur, ut accendatur jecoris totius inflammatio.

De diagnosi.

Nihil medicorum pluris interest, quàm genera valetudinis inter se consimilia clarè invicem dignoscere posse. Errare enim de hâc re, persæpè est hominem jugulare. Inter morbos qui hepatitidem interdùm adeò simulant, ut cum eo confundi periclitentur, pneumonia, gastritis, rheumatismus, enteritis et dyspepsia maximè attentionem vindicant.

In pneumoniâ gravior urget spirandi difficultas, tussis brevi humida evadit, et dolores situm altiorem occupantes magis per pectus vibrant, sedem subindè mutantes, quominùs æger in latus affectum decumbat plerumquè prohibentes. In hepatitide verò, tussis plerumquè sicca, dolores in regione jecoris fixi, manu parti admotâ, vel decubitu in latus sinistrum ingravescentes, plena verò inspiratione minùs adaucti, summum humeri petentes, et signa febrilia mitiora, ad hos morbos ritè secernendos satis plerumquè valent.

In gastritide, tensio et plenitudo in hypochondrio dextro, dolor ad summum humeri, decubitus in latus difficilis, et tussis prorsùs absunt; dùm dolor ardens in epigastrio, vomitus ex omni re ingestâ protinùs concitatus, pulsus parvus, et subitus virium collapsus adsunt.

In rheumatismo, si quandò regionem hepati vicinam occupaverit, dolores magis vagi musculorum tractum sequentes, pyrexia sæpè omninò vacant, neque tussim, nec vomitum, nec spiritum difficilem sibi comites adjungunt.

In enteritide. Inflammatio intestini cognoscitur ventris dolore circa umbilicum torquente, sensu intestini quasi affecti, cum spasmo, toto ventre dolentissimo, præsertim si digitus opprimit, et alvo strictissimâ, solutuque difficillimâ.

Dyspepsia et hepatis chronica, etsi intimâ naturâ prorsùs dis-

crepantes, externa tamen facie nonnunquàm tantam similitudinem præ se ferunt, ut diagnosis medicos peritos, longo artis usu exercitatos interdùm fallat. In hunc quoque errorem eò faciliùs incidimus, quòd inter cibum concoquendum utriusque mali symptomata exasperari solent; hoc enim tempore ex hepate ægrotans doloribus levibus huc illuc lancinantibus, flatu, et ventriculi distentione maximè vexari solet. In his verò exemplis, historia ægri, causæ hepatidis prægressæ, vultus et præsertim oculorum species, et jecoris regio manu curiosè pertentata, veram morbi latentis indolem produnt. De quâ certiores nos faciunt quædam symptomata febrilia tempore vespertino observando, sanguis emissus crustam inflammationi propriam ostendens, vires magis quàm in dyspepsia corruentes, et remedia contra dyspepsiam frustrà forsàn adhibita.

De prognosi.

Prognosis in hoc, haud secùs ac in aliis morbis, ex ejus vehementiâ, duratione, et causis, necnon ex viribus ægri, corporis habitu, et ætate plurimùm pendebit. In iis exemplis ubi idonea remedia opportunè in auxilium vocata fuêre, et signa febrilia semet paulatim subducunt, si, levatis symptomatibus molestioribus, cutis leni sudore madet, solitus nitor ori restitutus fuit, et alvi dejectiones saniùs et minùs petentes descendunt, morbum brevi in salutem esse cessurum sperare licet. Quòd si febris ardentior, gravis spirandi difficultas, tussis valdè molesta, dolores acriùs ad summum humeri dextri vibrantes, et feces multùm à statu sano alienatæ adfuerint, ne morbus in suppurationem abeat, jure timemus. Si aliquæ ex indiciis, quæ resolutionem futuram docere suprà proposui, tertio quartove die accedant, æger est in bonâ spe. Quòd si inflammatio quæsitior sex aut septem dies perstiterit, vix dubitare licebit quin jecur suppuraturum sit. Si jecur abscesserit, timere aut sperare licebit, prout suppuraverit hæc aut illa pars jecoris.

Si pars convexa, ubi margine acuto instruitur, pure corrumpitur, eaque actio adest, quà partes invicem conterminæ cohærent, jecur et integumenta ventris inter se committi possunt, et hâc viâ pus excerni. Quòd si fiat, vulnus pure exeunte oriundum, ni vetet malus corporis habitus, sanescet. Cùm jam supervenerit suppuratio, quam fluctuationis sensus, rigores, et sudores nocturni evincunt, de ægri salute non omninò desperandum, etsi certè in haud leve vitæ discrimen adducatur. In hoc enim statu, eventus secundùm ægri vires, et sedem abscessûs haud parùm variat.

Pure in abdominis cavum aut ventriculum, aut pulmones effuso, æger vix servari potest. Nec res multò meliùs se habet cùm abscessus talem situm adeptus est, ut pus in intestina se effundat; dejectiones enim crebræ, fetidæ et purulentæ ægri vires tandem penitùs exhauriunt. Si tumor extrorsùm vergens pus per tegumenta foràs prodire sinat, exitus sæpiùs felix est; et ægri ulcere sensim consolidato, ad pristinam salutem haud rarò restituuntur.

In hepatitide chronicâ vires multùm collapsæ, corporis macies, febris vespere accensa, et ascitæ vel anasarcæ indicia pessimè augurant. Sin autem non diù perstititerit hoc hepatis vitium, et ægri vires aliter vigeant, remediis strenuè admotis sæpè feliciter cedit.

Medendi ratio.

In hepatitide acutâ sanandâ, ad ea remedia, quæ auctam vasorum actionem minuendo, vim inflammationis temperant, protinùs confugiendum est. In hoc itaque consilio, regimen antiphlogisticum, sanguinis detractio, *vesicatoria, cathartica,* utpotè remedia ad hunc finem paratissima in usum revocanda sunt. Quantùm valeat regimen antiphlogisticum in omnibus acutis morbis medendis, nemo est qui non ultrò fateatur. Æger igitur sedulò abstineat ab omnibus quæ corpus irritant, calorem adaugent, vel pulsus concitant; dùm ea quæ diluunt et refrigerant, liberè propinantur.

Sanguinis detractio. Ineunte igitur hoc malo, secanda est vena, nonnisi enim hoc maturrimè exacto resolvi poterit. Quantùm sanguis mitti debeat, cognitis ratione virium, ætatis et signorum, indoleque corporis, patebit. Vix minùs unciæ duodecim, aut amplius viginti quinque singulis vicibus absumendum. Sanguis iterùm eliciendus erit, si dolor non hebetatur, si arteriæ adhuc concitantur, et saliunt validè, durè, et citissimè, et digito imposito, uti nervi intenti, subsiliunt, et sanguis detractam tunicam istam corii similem sibi præfert. Nec verò sanguis, tunicâ istâ obductus, semper per se venam incidendam edocet; quæ bis terve detracto sanguine apparet; non verò inflammationi jam ineunti subest. *Pembertonus* istâ de hâc re scripsit : « *If the buff, after six hours from the time of the venesection, appears very firm compact, and opaque, has a concave surface, and is puckered at the edges, and if the hardness of the pulse and degrec of pain be not diminished, we may feel secure that the patient will again bear, with advantage a bleediug from the system. If, on the contrary, the buff (after an equal time) appears with a flat surface, is transparent, and has a greenish yellow colour, with a striated filameutous texture running through it, we must not again have recourse to general bloodletting, but place all our reliance on topical bleeding, blistering and purging.* » (Pemberton, *on the diseases of the abdominal viscera*, p. 25.

Permagni interest, quoties sanguinem elicere oporteat, ut ex hiatu ampliore profluat; quantò enim celeriùs venæ vacuefiunt, tantò magis debellatur inflammatio. Vel permagna copia sanguinis lentè detracta non solùm inflammationem non subigit, sed simul viribus labefactandis admodùm nocet.

At verò animadvertendum est, si sanguis è sectâ venâ non recto flumine versus horizontem prosiliat, sed per cutem repens perpendiculariter dimanet, ut celeri se proripiat gradu, sæpè tamen addicti colorem (subalbidis nempè), non accedit cujus ego me causam nescire fateor : neque æger ab istiusmodi sanguinis

missione perindè levatur, ac si modo primùm descripto fluat. *Sydenhamus*, sect. sexta, cap. III.

Indicatur vena sic, ut ne sanguis effluens cutem lambat, verùm rectè liberèque prosiliat. (*Simson*, de re med., p. 112.)

Cathartica salina in omni hujus morbi acuti, pariter ac lenti exemplo, optimos effectus præstant. Hæc enim non solùm alvum materiâ irritanti et plurimùm nociturâ expurgant, sed etiam nauseæ atque oppressioni circum præcordia sublevandis quàm optimè inserviunt.

In omni acutâ hepatis inflammatione, ubi febris ardentior et dolores acriores ægrum exercent, ad sanguinis detractionem tuto et utiliter decurritur, quæ pro ægri viribus et morbi vehementiâ celebranda est. Limites autem intra quos hæc evacuatio contineri debet, accuratè statuere imprimis arduum erit. In regionibus calidis, ubi vires sæpè multùm relaxantem, diathesis phlogistica minùs invalescere solet, et morbus in suppurationem celerrimè ruiturus est, sanguis parcâ et prudenti manu mittendus est; vitale enim fluidum, semel emissum, non revocabitur.

Quæ vomitum movent. Quidam tamen ventriculum vomitu sollicitari jusserunt ad morbum sanandum : quos planè ratio vana fefellit; nihil enim graviùs notas omnes acuere et intendere potest. Ob eamdem causam præparata è stibio adjicere oportet. Quamvis enim ad sudorem eliciendum præcipiantur, ob ventriculum tamen sensibiliorem et irritabiliorem, haud verò vomere inopinato faciunt.

Fructus aciduli, acida et omnia refrigerantia prodeant. Sitim enim restinguunt, febrem et inflammationem sedant, et viribus succurrunt.

Emplastra exulceratoria, quàm proximè parti dolenti admota, haud immeritò laudantur. Cum stimulo suo bonis effectibus qui è sanguinis missione profluunt, nonnihil obstare creduntur, eorum usum posthabere, donec debita hujus copia educta fuerit, consultiùs habetur.

Professor *Portal*, scripsit de ratione medendi hepatis. *Cependant les obstructions du foie étant formées de diverses matières, ne doivent-elles pas avoir des terminaisons différentes, et plus ou moins promptes? et leurs remèdes ne doivent-ils pas être variés selon leurs espèces, autant qu'on pourra parvenir à les connaître? On ne peut néanmoins se dissimuler qu'un voile bien obscur ne couvre ces connaissances, qui seraient si importantes. Il semblerait cependant résulter de l'observation, que les engorgemens sanguins sont plutôt suivis de l'inflammation que les autres, et que la suppuration en est une suite plus commune, ainsi que des indurations véritablement squirrheuses et les adhérences du foie avec les parties voisines. Dans cette espèce d'engorgement, les saignées, les bains, les relâchans seront les remèdes le mieux indiqués.*

Au contraire, lorsque les obstructions seront bilieuses ou lymphatiques, les remèdes amers, les apéritifs savonneux, les eaux conviendront essentiellement, telles que celles de Barège et de Bourbonne, jointes avec les mercuriaux, l'huile de térébenthine avec l'éther, etc.

Cùm vis inflammationis et diathesis phlogistica in hepatitide acutâ, prægressis evacuationibus, subactæ fuerint, quò citiùs ad hydrargyri usum decurritur, eò æger in meliore spe erit. Hoc enim in medicamentum virtute quasi specificâ adversùs jecoris morbos pollere multis persuadetur. Et certe tempestivo hydrargyri usu optimè cavetur, ne species acuta in chronicam abeat, in quam valdè proclivis est; vel si jam supervenerit chronica, ei hoc remedio feliciùs medetur. Quod admodùm, quo hydrargyrus commodiùs adhibeatur, vel partibus externis affricari potest, vel intùs assumi; nec multùm interesse videtur, modò æger vires suas in totum corpus probè expertus sit. Quod ad tempus per quod in ejus usu persistere debemus, nulla certa regula dari potest. In quibusdam, ut primùm os leviter exulceratum fuerit, morbus in melius verti incipit; ciborum enim appetentia, oris nitor, alia salutis redeuntis indicia

semet ostendunt. Dùm in aliis, non nisi hydrargyro in longum tempus strenuè adhibito, et saliva uberiùs mota, boni ejus effectus percipiuntur.

Nonnunquàm, propter statum valetudinis, hujus medicamenti usum deponere, et id iterùm certis intervallis usurpari, necesse habemus. Acidi nitrici vires in morbis chronicis hepatis medendis, paucis abhinc annis à doctore *Scott*, Bombaiense, egregiè laudatæ fuêre; sed aliorum votis non ex æquo respondebat.

Hodie plurimùm apud medicos maximè exercitatos invaluit usus catharticorum salinorum in omnibus morbis hepatis; et ut videtur, optimo cum eventu.

Victus ratio. Inflammatione sæviente, victus tenuissimus erit. Magis angue et cane fugiendæ, carnes assæ aut elixæ, potus meraci omnigeni, et omnia incitantia. Cibus è frugibus, simplex, parcusque præstat. Conclave in quo æger habitat, perflatum habere debet: temperies media juvat, quæ sit nec ultra, nec citra gradum sexagesimum indicata; inter cubandum æger stragulis levioribus velandus.

Si æger jam Indiam aliumve locum sole torrido exustum accolat, ei domum redeundum, aut cœlum mitius petendum. Morbo tùm præsente, tùm quoque finito, videndum est, ut corpus nonnulli ex noxis excitantibus pateat: quæ scilicet urgentem exasperabunt, et sublatum quàm facillimè reducent. His remediis frustrà adhibitis, quid valeat regimen, et cœli mutatio, experiri debemus.

HIPPOCRATIS APHORISMI.

I.

Ab hepatis inflammatione singultus, malum. *Sect.* 7 *aph.* 17.

II.

In ictericis hepar durum fieri, malum. *Sect.* 6, *aph.* 42.

III.

Quibus hepar aquâ repletum ad omentum eruperit, his venter aquâ impletur, et moriuntur. *Sect.* 7, *aph.* 56.

IV.

Quibus hepar circumcirca dolet, his febris superveniens dolorem solvit. *Ibid.*, *aph.* 52.